



Regula honestatis moralis seu tractatus theologicus tripartitus de regula moraliter agendi

In Duos Item Libros Dividitur: In priori potissima fundamenta, & principia moderni Probabilismi intrinseca exactè, & accuratè examinata multipliciter evertuntur, & non esse verè principia, ... In posteriori verò eundem cum modernis Decretis Pontificiis multiplici argumento ... ubi multa de ultimi ...

Camargo, Ignacio de

[S.l.], 1702

Articulus I. Quo sensu opinio illa absolutè damnata sit juxta modernos Probabilistas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94767)

CONTROVERSIA SECUNDA:

Ex Decreto Innocentii XI. damnantis benignissimam sententiam quorundam Probabilistarum de praxi tenuis probabilitatis, validum item argumentum depromitur contra benignam Recentiorum sententiam.

1. **S**ententia illa his verbis concepta, *Generatim dum probabilitate, siue intrinseca, siue extrinseca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeat, consili aliud agimus, semper prudenter agimus*, est articulus tertius ab Innocentio XI. damnatus in Decreto suprâ producto. Ex quo benignam quoque Probabilistarum sententiam, tacite quidem, sed satis efficaciter, reprobata esse contendimus, & ostendendum modo suscipimus. De primo verò, & secundo articulo eodem Decreto damnatis, qui materiam concernunt specialem, post controversiam istam latius tractabimus?

ARTICULUS I.

Quo sensu opinio illa absolute damnata sit juxta modernos Probabilistas.

§. I.

Expositio Decreti Pontificii apud Recentiores communis.

R. P. Generalis-dissertat. 3. c. 2. §. 3. n. 24.

2. **T**actam non esse per damnationem hanc benignam Recentiorum sententiam, supponit, & affirmat adm. R. P. N. Generalis Præpositus Societatis in suo egregio, ac celebri Opere de recto usu opinionum probabilium. Et nos etiam fatemur, ipsam Decreto isto signatè quidem non esse damnatam; quia licet generaliter affirmer licitum usum cujuslibet practicè, etiam minoris, probabilitatis, non designato certo aliquo gradu, infra quem sit illicita praxis ipsius; hanc tamen assertionem Recentiores utcumque excipiunt, atque discernunt ab eo expresso articulo directè, ac signatè damnato. Caterum ægrè nimis, ut meritò potuerit insignis ille vir P. Ægidius Estrix in illo suo politissimo Scripto oblato Innocentio XII. (de quo suprâ meminimus) affirmare, benignam Recentiorum sententiam *vix evasisse fulmen Innocentii XI.*

Sup. li. 1. controv. 8. 2. §. 2.

incertum, quanto tempore permanens esset intacta. Credimus ergo, ipsam fulmine Pontificio fuisse saltem haud leviter afflatam, si non, directè tactam, & ictam.

3. Hanc in animum nostrum, persuasionem, vel Recentiores ipsi induxissent, si cætera argumenta deessent. Vix enim illud Innocentii Decretum per Ecclesiam vulgatum est, cum anxius quidam timor, & non mediocris sollicitudo animos eorum invasisit pro benigna sua sententia; cujus sanè timoris haud leve præbebat indicium, quòd statim ceperunt multa cogitare discrimina, quæ, nullo etiam perente, reddebant, ut ostenderent, damnationem illius articuli tertii de tenui probabilitate, non tetigisse sententiam benignam.

4. Erat adhuc, ut memini, in Hispania memorati Decreti notitia recentissima, cum fortè ad manus meas pervenit Scriptum cujusdam Magistri, benignæ probabilitatis propugnatoris studiosissimi, quo argumentum istud tractabat, idque diligenter agebat, ut perturbatos animos sedaret, & res quoad usum probabilitatis in eodem, quo antea erant,

erant, statu permansisse suaderet. Adeo perterritur Probabilistas Pontificii fulminis timor.

5. Plures deinceps libri prodire idem argumentum versantes. Sed præ cæteris omnibus, quos viderim, Recentior quidam valde eruditus id ipsum tractat accuratissimè. Afferit autem, opinionem illam, vel ideò meritò fuisse damnatam, quia in quacunque materia universaliter, atque illimitatè adstruebat licitum usum cujusvis opinionis, quantumvis tenuis probabilitatis, cum debuisset saltem excipere dubia circa materiam Sacramentorum, in quibus non est licitus usus cujuslibet opinionis probabilis: item dubia in judiciis occurrentia, quæ decidi à iudicibus non possunt juxta opinionem minus probabilem: ac demùm generaliter distinguere debuisset inter opiniones probabiles practicè, vel speculativè; quia non semper opinio speculativè probabilis sufficiens est inducere, practicam probabilitatem. Immo verò frequenter est prorsus improbabilis practicè, opinio affirmans, aliquid esse licitum dependenter ab opinione speculativè probabili, ut clarè patet ex eisdem exemplis: patet etiam exemplo medicamèti probabiliter utilis, ac sani, & simul æquè, aut magis probabiliter noxii, quo posse medicum licitè uti, est prorsus improbabile practicè. Cujus generis possent alia multa exempla produci, nisi nota forent, & obvia.

6. At verò benigna sententia omnes prædictas adhibet limitationes; neque enim generatim affirmat, licere uti probabili opinione in quacunque materia indifferenter, aut opinione utcunque probabili; sed plures casus determinatè excludit, & assertionem expressè limitat ad opinionem verè, & practicè probabilem.

7. Immo ad hanc unam limitationem cæteræ omnes revocari possunt, uti revocantur de facto, tum ab hoc Recentiore, tum ab aliis com-

muniter, etiam post damnationem hujus articuli de tenui probabilitate. Adhuc enim affirmant, esse generaliter verum in qualibet materia, & absque omni limitatione, licere uti opinione probabili, dummodò verè, ac practicè probabilis sit, idest, quæ probabiliter affirmet moralem honestatem actionis inspectis suis omnibus, etiam particularibus circumstantiis; licet opinio opposita, quæ negat honestatem ejusdemmet actionis, sit non minus, aut etiam magis probabilis. Et hic videtur esse communis sensus, & expositio Decreti Pontificii apud Probabilistas Recentiores.

8. Unde, propterea in casibus exceptis non licet juxta Recentiores uti opinione minus, aut æquè duntaxat probabili, quia illa practicè probabilis non est, sed speculativè, atque remotè tantum, nec fundat aliam practicè probabilem: neque enim practicè probabile est, licere uti opinione probabili de valore aliqujus Sacramenti, ommissa opinione tutiore probabiliori, aut æquè probabili: neque item opinio affirmans licere judici ferre sententiam juxta opinionem minus probabilem, probabilis practicè est: & idem est de medico, & aliis.

Cum igitur opinio illa de tenui probabilitate, nec specialem aliquam adhiberet limitationem, nec generalem istam de practica probabilitate, damnari meritò potuit, ac debuit, tanquam scandalosa, & perniciofa. At verò sententia benigna ob rationem prorsus cōtrariam tam procul abest à damnatione, quàm longè ipsam distare constat ab ea opinione damnata.

§. II.

Ejusdem Pontificii Decreti quorundam Recentiorum expositio specialis.

9. **I**dest discrimen, quo Recentiores benignam suam sententiam

tiam distinguunt ab opinione illa dānata; cui tamen, ipsi discriminis auctores, satis confidere non videantur. Nam, si quæras adhuc ab illis, utrum censeant, licitum esse uti opinione tenuiter probabili, saltem extra materiam Sacramentorum, & alios casus ab eisdem exceptos: vel utrum sit absolutè licitus generaliter in quacunque materia usus cujuslibet opinionis practicæ, sed tenuiter probabilis? Profectò non audent asserere: quin immò generaliter inficiari videntur, licitum esse per se loquendo uti opinione ulla benigna, quæ solum sit tenuiter probabilis.

10. Et quidem prælaudatus Recentior, ideò prædictum usum in quacunque materia improbat, quia nulla opinio tenuis probabilitatis censeretur potest verè, ac certò probabilis, sed dubiè, vel ad summum probabiliter tantum. Etenim vera, ac certa probabilitas ex ipsis terminis tenuis esse non potest, sed fortis debet esse, ac robusta, quippè quæ innititur rationibus non tenuibus, sed fortibus potius, ac gravibus, quæ vires habeant ad resistendum rationibus opinionis contrariæ. Jam verò opinio probabiliter tantum, & non verè, ac certò probabilis, non est sufficiens ad honestè agendum juxta communissimum sensum recentium Probabilistarum, quia fundare non potest ultimum dictamen conscientiae de absoluta honestate operationis moraliter certum, & evidens, sine quo saltem nemo honestè operatur.

11. Itaque juxta hunc Recentiorum opinio tenuis probabilitatis erit illa, quæ innititur rationibus, de quarum fortitudine, aut gravitate communiter certò non constat, sed potius cōtrovertitur apud Auctores. Quare articulus ille de tenui probabilitate propterea meritò damnatus est, quia generaliter approbat ad praxim, non solum opiniones, quæ verè, ac certò probabiles sunt, & quas benigna sententia approbat,

sed etiam omnes dubiè, aut probabiliter tantum probabiles, quarum praxim non approbant Probabilistæ, sed potius communiter damnant.

12. Hunc tamen sensum Recentior alter haud vulgariter doctus acriter impugnat, ac rejicit, quatenus opiniones probabiliter tantum probabiles dicit esse probabiles tenuiter, adeoque earum praxim absolutè damnatam. Censet igitur ipse (singulariter quidem, & nimium laxè, sed, ut opinor ego, admodum consequenter ad principia benigni Probabilismi) opinionem non certò, sed probabiliter tantum probabilem de morali honestate actionis, sufficere ad honestè operandum: nam qui prudenter judicat, opinionem, quam sequitur, esse probabilem, & rectè rationi conformem, honestè procul dubio operatur: ut verò sic judicare possit, sufficit, quòd opinio probabiliter sit probabilis, in ea hypothesi.

13. Neque terretur illo inconvenienti, quòd ultimum dictamen conscientiae de absoluta honestate actionis, non prodeat absolutè certum; tum, quia neque requiritur juxta non paucos Probabilistas; tum, quia id ipse constanter negat; nam, estò immediate non prodeat, ut prodir juxta Reflexistas ex opinione certò probabili, elici tamen potest parvo labore, nempe per novam aliam reflexionem supra reflexam probabilitatem de probabilitate directæ illius opinionis probabilis. Hic igitur Recentior absolutè contendit, nullam esse probabilem opinionem, cujus videlicet probabilitas verè saltem probabilis habetur, quæ dici debeat tenuiter probabilis, adeoque, cujus praxis absolutè damnata sit, saltem certò, & indubitanter.

14. Hinc autem arguit ipse, argumento sibi fortissimo, & quo utitur frequentissimè, ut multas opiniones morales, aut diversos sensus earum eximat absolutè à damnatione Sedis Apostolicæ. Nimirum, quoties certò non constat, sed potius du-

dubitatur de damnatione, aut sensu Decreti damnantis, an comprehendat hanc, vel illam opinionem, aut aliquem sensum earum, non debent opiniones ejusmodi censeri absolute damnatae, sed exemptae potius, ac liberae à qualibet damnationis nota.

15. Ratio est, inquit ipse: nam quaelibet damnatio, utpote odiosa, restringenda est, & in dubio delicti, adeoque damnationis illius, reo potius favendum, quam auctori, ut habet trita regula Juris: ergo nullus in dubio jure damnari potest: ergo nec censeri damnatus. At opiniones illae, de quarum damnatione dubitatur, & earum etiam Auctores, tanquam reos se habent in hac causa: ergo, dum non constiterit de delicto, adeoque nec de certa, atque legitima ipsius damnatione, minimè debent censeri damnati.

16. Ei ergo, qui contendit, aliquam opinionem esse damnatam, incumbit onus probandi damnationem, quam donec certò ostenderit, interim illa opinio absolute manere debet in possessione suae indemnitatis. Cum ergo dubium, ut minimùm, sit, an opiniones verè probabiliter tantùm probabiles, tenuiter probabiles dicendae sint, quarum proinde praxis Decreto illo damnata censetur, dicendum absolute est, neutiquam censeri damnatas, sed immunes potius, ac liberas, à nota qualibet damnationis, & in eodem, quo erant, statu. Ita ille.

17. Quòd si ab hoc Recentiore, inquiras, an censeat esse aliquas opiniones tenuiter tantùm probabiles, quarum praxis universaliter damnata sit in omni materia? Maximè, inquit, nimirum eas omnes, quarum probabilitas vera probabilis saltem non est, sed potius dubia propriè, & strictè. Utique probabilitas moralis opinionis, quae verè non pertingit ad gradum saltem probabilitatis, sed dubia propriè, & incerta est, tenuis, ac penè nulla censeri debet, atque adeò praxis ipsius universaliter, &

in quavis materia jure merito fuit damnata. Ita Recentior iste exponit Pontificium Decretum; quem tamen sæpè audivi aliis quibusdam Probabilistis non placere, eò quòd nimis videatur severus in hoc, & aliis Decretis exponendis; ut nihil jam mireris, quod eisdem nos displiceamus.

18. Denique casu legi quendam Casuistam, auctorem nescio cuius Theatri moralis, qui vulgari sermone aggressus etiam est expositionem articulorum ab Innocentio XI. damnatorum, & mirabilia docet, & loquitur.

Primum, cum pervenisset ad articulum istum de tenui probabilitate, obstupet, & ingenuè fatetur, nullam se prorsus rationem assequi, ob quam assertio ista damnata sit, indemni persistente (ut supponit) benigna Recentiorum sententia. Addit tamen humiliter, ac piè, oportere subicere iudicium nostrum Decreto Apostolicæ Sedis. Nihil prudentius dictum, si suppositionem probaret.

19. Sed attende constantiam hominis, qui, ingenua illa, & humili confessione præmissa, intrepide assertit, in eo articulo non esse damnatam praxim opinionis tenuiter, sed tenuissimè tantùm probabilis: idque non generaliter, & ubique, sed in aliquo tantùm particulari eventu (quem ipsi piè designare placuit unicum articulum mortis), extrà quem semper licitus sit usus cujuslibet opinionis, etiam tenuissimæ probabilitatis. Hoc ait, & nihil ultra colligi rectè posse ex damnatione præfati articuli, attentis propriis verbis opinionis damnatae.

20. Propositum est mihi nunquam, vel rarò admodum recensere, aut attèdere, Auctorem ullum, etiam alioqui gravem, qui Theologicas controversias idiomate vulgari tractaverit; hac enim saltem penà digni videntur, qui moralem doctrinam de se gravissimam, & captu plerumque difficilem, non sine con-

P p scien-

scientiarum præjudicio, vulgi stultitiæ dijudicandam, immò verò irridendam offerunt, ut libros suos venales faciant, quo plus, & pluribus nocere possint. Hunc attamen Summistam præter morem meum recensui, ut ex doctrina ipsius facilè appareat, qualis hodiè invaluerit opinandi, ac docendi modus, quando sic exponuntur ipsa Pontificia Decreta, per quæ Summi Pontifices nimiam opinandi licentiam in rebus ad consciètiâ pertinentibus, semel, & iterùm severissimè taxant, & tanto cum horrore detestantur, ac prohibent.

ARTICULUS II.

Improbatur doctrina præcedentis articuli.

ENimverò prædictas Pontificii Decreti expositiones legitimas non esse, sed arbitrariè potius confictas, & alienas omninò à sensu, & mète Summorum Pontificum, haud difficile sit ostendere.

§. I.

Refellitur communior illa expositio Probabilistarum.

21. ET in primis, quòd praxis opinionis tenuiter tantùm probabilis non sit prohibita, atque damnata universaliter in quacunque materia, sed in materia tantùm de valore Sacramentorum, in ferenda sententia judiciali, aut aliis specialibus casibus, inverisimile prorsus esse, meritò Recentiores ipsi (quidquid aliàs aliqui innuant) supponere tandem videntur.

22. Sanè, damnatis signatè, & specialiter illis particularibus opinionibus de Judice, de Sacramentis, de infideli, & aliis similibus, jam quælibet opinio universalis, quæ praxim tenuis probabilitatis ad eos omnes casus extenderet, quoad illam

extensionem intelligebatur damnata, nec erat, cur ulteriùs propter illam iterùm damnaretur specialiter.

23. Præterea nec damnari debuisse, eò quòd non exciperet expressè alios casus particulares, ut de bello, de medico, & alios similes, pro quibus opiniones asserentes, licitum esse uti opinione minùs probabili, aut nullæ sunt, aut penitus inverisimiles; aliàs ob eandem rationem damnari quoque debuisset specialiter opinio ipsa benigna Recentiorum, quæ passim apud ipsos invenitur expressa sub terminis universalibus, & nullam exceptionem præferentibus, ut, *quisquis sequitur opinionem, etiam minùs probabilem, & minùs tutam, prudenter, & honestè operatur: nemo de præcepto tenetur amplecti in dubiis opinionem tutiorem, esto sit æquè, aut magis probabilis, & aliis consimilibus nimis frequenter obviis in libris Probabilistarum.*

24. Quòd si dicatur, exceptiones illas supplendas esse aliunde, & necessariò subintelligendas ex communi sensu Doctorum, qui benignam sententiam tenent: tantundem pari jure dicendum erit de illa benignissima opinione: quam tamen specialiter in illo articulo damnatam videmus, nec privilegium ullum quoad hoc uni potius, quàm alteri suffragari ostendetur.

25. Nec rursus dici potest, meritò benignissimam præ benignam opinionem damnatam esse; quia benignissima non distinguit inter opiniones probabiles practicè, vel speculativè, uti distinguit opinio benigna, sed generatim, ac sine discrimine omnem opinionem probabilem, etiam tenuiter, ad praxim approbabat: quod est planè absurdissimum, ac meritò proinde damnatum. Frustrà, inquam, id dicitur: nam, vel jure damnatur opinio illa, eò quòd in ea assertione, per quam ipsa proponebatur, distinctio illa non esset expressa; & sic eodem jure damnari quoque debuit benigna Recentiorum opi-